



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

## M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

terrorem, nisi quod nō pro tali publice oratur. Non plus igitur ille patitur a tali excōmunicatione q̄ pateretur domus uel uestis si excōmunicaretur, sic rursus nihil plus iuuatur absolutiōe. Sed quiescam deinceps confutare cōtradictiones istas garrulas, cum nihil in se contineant q̄ opiniones scholasticas, nec in scripturis, nec ecclesiasticis patribus, nec Canonibus fundatas. Semper em̄ petit principiū, aut si hoc nō facit, more iratarum mulierularū saltē blatterat hæc uerba, Errat, furit, insanit, Error, errare, In his em̄ uerbis summā sapiētiae & scientiæ suæ constitutā uult uideri

### CONCLUSIO IX.

Inde bene nobis facit Spiritussanctus in Papa, excipiendo in suis decretis semper articulum mortis & necessitatis.

ISTA Conclusio magis est probatio præcedentis, Certum est enim, quod si articulos necessitatis temporalis summus Pontifex uult exceptos, multo magis necessitatem æternam. Ad quā homo per mortem uadit, cum infirmus aut impeditus legitime, solū temporali impotentia teneatur. Quin etiā si qua summus Pontifex nō excipit necessitatem, tñ excepta nō minus intelligitur. Cū necessitas nō habet legē. At mors necessitas necessitaturū, impedimentū impedimentoꝝ oīm ultimū & maximū est.

### CONCLUSIO X.

Indocte & male faciunt sacerdotes n̄, qui morituris poenitentias Canonicas in purgatorium referuant.

ET HAEC quoq; corollarium manifestum est conclusionis viij. Et certe sunt nonnulli, qui mirentur, si hæc fiant a sacerdotibus. At utiq; fiunt. Cum uero id sit, plus obedientiam Canonū q̄ obedientiam uocantis dei ponderare, & uiliora Canonum opera præferre precio preciosissimæ mortis Christianorum, nescio, si illi rectæ fidei regulā teneant, qui tali imbuti sunt opiniōe

Secundo, Id notum est, & insignibus authoribus celebre in Ecclesia, si quem deus hominē in medijs ipsis operibus obedientiæ ecclesiasticæ ad ecstasim raperet, uel singularem illuminationem, tenetur homo tum opus intermittere, & obedientiam ecclesiæ relinquere, & deo obsequi magis q̄ hominibus. Immo dicunt in ipsis horis canonicis attentionem uerborum debere

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

omitti, contra præceptū ecclesiæ, si qua arriserit cœlestis illustratio & affectio. Si ergo in ijs uocationibus feriant leges ecclesiæ, quomodo non feriantur in uocatione & ecstasi tam magna scilicet mortis: Nisi forte stultorū sequi oportet multitudinē, qui in operibus suis cæremonialibus ita hæret, ut manifestam obedientiam dei & hominū propter illa sæpius postponant, & res se sibi fecisse uideant, si illa tantum, cætera uero nunquā fecerint.

Tertio. Effet sane ecclesia tum satis impia in deum, si scilicet eum in suo foro retineret inferiori, quem deus iam ad suum tribunal supremū uocat. Aut quando patit summus Pontifex, resum teneri lege, iuribusq; fori inferioris Episcopi aut prælati, postquam uocatus est suo foro sisti: an ipse id a suis inferioribus requirit quod ipse homo suo deo superiori nō permittit: Claudat ergo manum dei homo, & homo non potest claudere homini: Absit. At certe si morituro imponit Canones, clarū est quod eum secundum suum forum iudicat & punit. Hæc sunt itaq; ferme uiginti rationes, quæ me mouerunt (ut spero) nō temere dubitare de materia illa canonicarum pœnarum, cum in contrariam partē nulla sit authoritas, nec Canon, nec ratio, nec uniuersalis usus ecclesiæ, sed abusus quorundam tantummodo.

CONCLUSIO.

XI.

Zizania illa, de mutanda pœna Canonica, in pœnā purgatorij, uidentur certe, dormientibus episcopis, seminata.

HIC rogo, nullus existimet me calumniā R. Episcopis struere, quod dixerim eos dormiuisse. Euangelij, non mea sunt uerba, nisi quod ibi non ponitur nomen episcoporum, sed hominum. Certum est tamen, quod per homines intelligit Maiores & rectores Ecclesiæ, nisi per tropologiam, uniuscuiusq; spiritū, & mentē super corpus suū acceperis. Igitur pontifices ecclesiæ, ista quidem nō docent, quia (ut dixi) nullus Canon, nullum statutum ex illis habemus, unde id possit doceri. Frustra itaq; laborant, quidā Canonistæ, dum nituntur ostendere, quales sint illi anni dies, quadragenę in purgatorio, cum uere nulli sint, aut saltem esse non probeat. Sed error inde uenit, quod non aduertunt Canones esse in tempore huius uitæ statutos, & super terram ligantes, sicut qui mutat municipium, & iura quoq; municipia

C